Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Casus concientiae - Cod. Ettenheim-Münster 211

Bayer, Rochus

[S.l.], um 1660-1661

Quaestio 19ma

urn:nbn:de:bsz:31-118955

Visual Library

non raptus autem vero raptus proprie sed sufficit mandasse raptum, ex probabiliore sententia docet, quod moraliter saltem concurrere ad raptum iubendo, suadendo, nec non sufficit eam ab alijs rapi, etiamsi alter scivisset hunc raptum fieri, item si ab alijs raptam iubeat ipso detineri, valide cum ipsa matrimonium contrahit, quia raptus, cum matrimonium dirimens consistit in abductione puellae non in detentione, incurrit autem raptor has poenas etiamsi postea matrimonium cum illa in loco libero constituta ineat, quia istas poenas incurrunt antequam matrimonium inire possit.

Ceterum talis raptus non est, si quis sponsam suam rapiat hoc modo, quia habet aliquod ius in eam, cum qua sponsalia iam contraxit, uti docet Sanchez L. 7. D. 13. n. 17. Pirhing et alij. Si foemina per vim abducatur non ad matrimonium, sed ad servitutem, non erit raptus, sed plagium, sed nec is has poenas incurret, quando proprio motu aliquam rapit ut aliquis cum ipsa matrimonium contrahat, atque haec matrimonij impedimenta huc usque recensita incurruntur etiamsi invincibiliter ignorentur, ita non fieri solet in legibus irritantibus aliquem contractum ut communiter tradunt Doctores in tractatu de Legibus. Q. an papa possit dispensare in impedimentis matrimonij dirimentibus.

Quaestio 19na.

An Papa possit Dispensare in impedimentis matrimonium Dirimentibus

R. in nullo impedimento matrimonium iure naturae dirimente potest aut solet dispensare Papam patet ex praxi Ecclesiae, nullus non hactenus papa in tali impedimento iuris naturae dispensavit, unde nunquam dispensatum est cum Indis ut plures uxores retineant, sed debeant si ad fidem Catholicam convertantur vel primam uxorem retinere vel eligere unam ex pluribus quam malunt, ita propositus et alij. Porro in alijs impedimentis dirimentibus solo iure Ecclesiastico inductis potest summus pontifex eiusque ordinarie solus dispensare, dispensat autem valide etiamsi non habeat causam iustam dispensandi, licite autem dispensat cum causa iusta, sublata dispensanti licentia desinit Ad quod tradunt Papam etiam sine causa iusta licite dispensare ita Sanchez de Dispensatione L. 8. n. 5. Salutanus propositus et alij, quia papa est supremus princeps in rebus Ecclesiasticis, et sicut sibi reservavit in poena constitutionis ita sibi soli reservavit eorum dispensationem, legatus tamen apostolicus non potest dispensare in impedimentis dirimentibus quia legatus ex communi DD. non potest plus in dispensando ultra terminos suae Legationis quam Episcopus in sua Dioecesi. F. 3.

Q. an Episcopus possit dispensare in impedimentis matrimonium dirimentibus